



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Deflorator virginis, eadem consentiente quid debeat? num. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

nefit obligatio. 2. Hinc si deflorata etiam per vim, bene deinde, & iuxta suum statum nupsit, ad nihil obligatur deflorator. nam nec pro apertione claustrum aliquid debet, quia hoc malum est irreparabile, & alterius ordinis; nec ob dotem datam à parentibus; hæc enim semper danda erat &c. si tamen propter periculum non bene nubendi aliquid virgini dedit deflorator, quamvis illa deinde optimè nupsit, poterit in conscientia virgo illud retinere, quia periculum non nubendi pretio fuit æstimabile.

a *Les. Vsq. Turr. apud De Lag. t. 2. de iust. d. 12. n. 16.*

3. Secundò. Si virgo liberè remittat, liber erit deflorator: neque enim requiritur consensus patris vel alterius; quia sui corporis, quoad hoc, domina est quæcunque mulier.

4. Tertio. In foro externo, etiam si nullum damnum virgo passa sit, si tamen vi oppressa fuerit, raptoris pœnas incurret stuprator; de quibus vide Lessium, b & Azor, c & nos aliquid tangemus c. 6 §. 2. n. 9.

b *Less. li. 4. c. 3. du. 9. num. 66. & 68. c. Azor p. 3. li. 3. c. 13. & c. 15.*

Deflorator virginis,

Eadem consentiente, quid debeat?

5. Iam vero his positis, communis est recentiorum sententia, defloratorem puellæ ex ejusdem puellæ consensu, nihil in conscientia debere, nec puellæ, nec puellæ parentibus, propter rationem num. 3. dictam. Ipsam vero puellam peccare contra charitatem

in patrem, & in suam aliqui honestam familiam, si publicè peccet, ac patris conturbatio notabilis prævideatur, communis est item doctrina.

d *DD. cit. & cit. passim.*

6. Illa explicacione indiget dicta recentiorum sententia. Nam si puella occultè consensit, tu vero crimen propalasti, ad restitutionem damni teneris, quia fuisti causa injustæ infamationis, unde aliquod damnum puellæ emerfisse supponimus. Idem propter similem rationem puto, si ijs modis sollicitares invitam, quibus facillè per urbem credatur ea assensum præbuisse: ut si de nocte per fenestras ad ejus cubiculum penetrare tentares: at vero apud ejusdem puellæ domum de nocte cantare, eandem ad templum cum suis euntem à longe comitari, aspiciere, salutare &c. non sunt ex se ex ijs modis, qui infamationem causant, siquidem hæc displicere honestæ puellæ facile quilibet existimare valet; nisi fortè ita sæpe, & in his circumstantijs hæc fiant, ut merito consensus suspicari invitæ puellæ alij possint.

7. Dixi autem, nu. 5. (nihil debere in conscientia) nam in foro externo, qui defloravit virginem, etiam volentem, cogitur à iudice, eam dotare, lege sic statnente, ut notavit Lessius, e propter bonum commune.

e *Less. li. 2. c. 7. n. 44.*

Quæstio incidens; An virgo pro primo usu sui corporis possit aliquid amplius pretij petere?

A a 2

Vbi